

non potuisset. Nihil illum ad tale patrandum facinus impulit: nisi metus inuidiaque: ne iterum ducatus in heracliam transferretur. Versus heraclensis qua uirtute princeps? Quibus rebus gestis? Tamen quia ferebatur noluisse pacem Equilanis dare: uitare non potuit populare odium & tumultu orto occisus est. Huic autem obelerio: qui duas ex nobilioribus urbes uno pene spiritu est demolitus. Ducalem parabimus nauem ad eum reducendum? Quid enim nunc aliud de Riualto cogitat? maiores & impotentiores referet quā antea spiritus: plenus irarum minarumque: precipue aduersus hanc insulam: Quasi causam desolatę patrię. Quis illum prohibebit? immo quis aduersus eum hiscere audebit? Quum stipatus gallicis farelitibus iisdemque armatis incedet: Quum litteras quotidie a Pipino proferet. Quum ore oculis uultuque minabitur: reuicite patres per deum immortalem ista consilia exitialia pestifera. In ope sunt omnes ut uidetis: Aedificare apparant sternere paludes: lapides & materiam inuehere. Quum primum illum restitueritis: Tepefeat hic edificandi calor necesse est. Quis enim erit tam insipiens: qui nō uideat ducem breui ducatum ex hac urbe in patriam propriam translaturum? Sumptus autem & labores in hac Riualto positos in irritum casuros? Nec illud quoque patres non etiā atque etiā uobis considerandum. Quid seditionum odiorumque: quid denique perturbationis sit consecuturū Regnent necesse est illius amici: cum suo duce. Fugiant ducis faciem: atque conspectum quicumque ducis libidini sunt aduersati. Qualem igitur domi pacem. Quam in iudiciis equitatem: in conciliis moderationem: Quam denique usque concordiam speratis? At facilis est ingenii & temperantis. Eodem loco habebit omnes. Si talem cognoscitis: aut experti estis decernite ut lubet: sed si superbissimum: ad uindictam implacabilem: nolite ab hoc homine publicis in rebus expectare moderationem: quam nunquam in propriis adhibuit. Prauitas enim morum secundis incrudescit rebus: nō emendatur. Hec domi: quid foris? Qualis per deum erit tum rerum status? Viuunt adhuc etiam Nicephorus & Pipinus: sopitę sunt inimicitie: non extinctę: uiuet in sempiternū inimicitiarū fomes. Placet ne iterū quę passi estis denuo experiri? & in superiora iterū picula reuolui? Vultis ne rursus: aut iratum in hec stagna recipere pipinum: quem amicum & orantem repulistis? An uero cernere iterum: littora uestra compleri equitibus: ardere oppida: portus obsideri? Quiescet. scilicet obelerius oblitus superiora. Nullas modestus homo ad pipinum mittet epistolas: nullas accipiet. Hoc quantum sit qui non intelligit: aut aliud sibi uult: aut nec illud intelligit: quā sit periculosum libertatem suā prodere amicis inimicorum. Quid autem demens queror? Nihil est quod timeamus. Aderit scilicet ad primum renouati gallici belli periculum: cum ingenti classe. Niceta patricius: quā uero Nicephoro gratias pro beneficio reddideritis amplissimas: quā præterea bene sibi ista conueniunt ut oratores nunc